



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. LXIII. Deus Deus meus ad te de luce uigilo, &c. Carm. gen. 18.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Confide stultis uiribus.

Opes abundant affluenter? ne bonis

Da rebus animum credulum.

Semel est professus: nec semel tantum Deum

Id profitemem audiuius,

Se posse solum cuncta, se solum bonum,

Et arbitrum rerum unicum:

Bonis benignum semper & placabilem,

Malisq; formidabilem.

PSAL. LXIII. Deus Deus meus ad te de

luce uigilo, &c.

Carm. gen. 18.

DEus, salutis auctor & custos meæ,

Te ueneror roseus quū fugat astra dies.

Te mens anhelat, membra sitiunt languida,

Terra uelut pluuias arida quærit aquas.

Quamuis arenas aridas æstu colam,

Præsentem Dominum mēs uidet usq; meū,

Non aliter, adyta arcaña quàm si conspicer,

Numinis adseruant quæ monumenta tui.

Nec dulcis æquè uita est quàm benignitas

Qua uitam munis prosequerisq; meam.

Ergo remotis dislitus quamuis locis,

Præsidio tutus te celebrabo tuo:

Tui sonabunt nominis præconia

Quæ dederis uitæ tempora cunq; meæ.

Nec uictus æquè recreat corpus, tua

Excitat ut mentem laus celebrata meam,

Tu nocte carmen, manè tu carmen mihi es:

Tu trepido præsens fers mihi semper opē.

Securus alis conquiesco sub tuis:

H iij

Teq̄z procul curis & tua facta canam.
 Te quærit animus, te colit, te deperit:
 Tu ualida fulcis in epater alme manu.
 At qui laborant per nefas me perdere,
 Consilijs prauis digna ruina premet.
 Ferro profundent spiritum nefarium:
 Membra dabunt audis dilanianda lupis.
 Rex lætus autem uindicem agnoscet Deum,
 Et quicumq̄z Dei numina ritè colunt.
 Metu stupentes conticescent impij,
 Spe stolidi fluxis qui tumuère bonis.

PSAL. LXIIII. Exaudi Deus orationem
 meam, &c. Carm. gen. 8.

A Vdi sancte parens non tetricus preces
 Te poscentis opem rebus in asperis:
 Et fallacis ab hostis
 Vitam fraudibus eripe.
 Prauorum tacitis factio me dolis
 Oppugnat, trucibus consilijs fremunt
 Conspirantq̄z scelesti:
 Tu me dux bonus eripe.
 Linguas ceu gladios exacuunt suos:
 Oris pestiferi uerba nefaria
 Intentant, medicata
 Tanquam spicula toxico,
 Vt rectos animi ex insidijs petant.
 Et securi auida mente coquunt nefas:
 Nec quenquam malefacti
 Formidant fore uindicem
 Designant animis horrificum scelus,
 Et